



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

III. Rotocus Comes Huberto Abbati sancti Dionysij Nogenti tradidit  
baculum pastorem, eique curam monasterij commisit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

vestituram Regalium episcopatus Sedunensis. Sed eis ablatum est id jus ab Henrico sexto Imperatore.

V. Cum investitura, mutato nomine, Regalia dici capissent, Duces & Comites Regalia quoque retinuerunt. Probatum ex Articulis Clementi Papa quinto oblati.

VI. In passionibus initis inter sanctum Ludovicum Regem & Petrum Ducem Britannia jus Regalia huic Duci conservatum est in episcopatibus illius provincie.

VII. Comes Campania jure Regalia fruebatur in Ecclesia Trecenti. Et Vicecomes Combornensis in episcopatu Lemovicensi.

ADDITIO. ] Comes Andegavensis idem jus usurpabat in Ecclesia Lexoviensi; & in monasterio sancti Albini Andegavensis investituram pleno jure olim utebatur. Reges nostri abbatias olim concedebant viris à se delectis, inexpectata enim monachorum electione. Probatum ex Præcepto Rodulphi Regis pro monasterio Tutelensi in Lemovicibus.

I. INVESTIGANDUM est deinceps an præter Regem aliqui Galliarum dynastæ jure Regalia fruerentur in regno. Plena est hæc quaestio curiosæ eruditionis; ac præterea magni momenti est ad ostendendum falsam esse quorundam persuasione, qui existimant eam esse Regaliæ dignitatem ut neque transferri in alium possit neque cum quoquam communicari. Sed ut rem ipsam melius intelligamus, repetenda est causa investiturarum, unde quoque Regaliæ originem esse scripsimus. Etenim si Duces & Comites, postquam eorum dignitates factæ sunt hereditariæ, investituræ Regalium episcopatum & monasteriorum dabant, probabile videtur eos hunc investiturarum usum retinuisse cum additione qua facta fuerat ususfructus Regalium.

II. Nam quoad investituræ, patet ex synodo Romana à Gregorio septimo celebrata anno millesimo octuagesimo solitis quoque Duces & Comites eas concedere eodem jure quo Principes. Si quis Imperatorum, inquit synodus, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, investituram episcopatum vel alicujus ecclesiasticæ dignitatis dare præsumserit &c. Id ipsum disertius docet Gregorius septimus lib. iv. epist. xiv. ex qua constat Comites Britonum, synodi Romanæ decreto obsequentes, investituræ episcopatum abjecisse, tamen se vetusta possessione tueri possent. Cum enim audivimus, inquit Gregorius, Principes illius terra contra antiquam & pessimam consuetudinem pro reverentia Dei omnipotentis & apostolicæ auctoritatis ulterius in ordinandis Episcopis nec dominium investituræ tenere nec pecunie commodum querere velle &c.

III. Idem investiturarum usus probatur etiam ex Chartulario sancti Dionysij Nogeni-Rotroci; ex quo patet Comitem Rotrocum Abbati Huberto dedisse baculum

pastoralem, eique curam monasterij commisisse: Huberto Comes Rotrocus baculum in manu dedit, & curam monasterij commisit. Apud Gallandium in Tractatu de Franco-Allodio pag. 328.

IV. In Imperio quoque vigeat idem usus. Etenim Comites Sabaudia consueverant dare investituram Regalium episcopatus Sedunensis in Vallesia; ut patet ex epistola quadam Henrici sexti Imp. data anno MCLXXXIX. quæ extat in Chartulario Tullenfi. Illic enim legitur Comitem Thomam petiisse restitutionem omnium bonorum suorum, quæ adversus patrem ejus publicata fuerant decreto Curia imperialis, per justam Principum Imperij sententiam & Parium suorum. Impetratum id quidem. Sed tamen denegatus ei fuit episcopatus Sedunensis; adjudicatumque est Imperio jus tribuendi investituram Regalium ejusdem episcopatus, tamen ea ad Comites Sabaudia pertinuisset: Sedunensem episcopatum ad manum Imperij retinimus specialiter; cujus Ecclesie Episcopi, ante tempora illa, de manu Comitum Sabaudia per aliquod tempus recipiebant Regalia. Sub ergo hac forma episcopatum illum Imperio specialiter retinimus, ut Ecclesia Sedunensis & ejusdem Ecclesie Episcopi ad Coronam Imperij jure perpetuo specialiter pertineant, ac de manu Imperij Regalia recipiant. Ad cujus rei certioram evidentiam Vvilelmum Episcopum, qui tempore illo Sedunensi Ecclesie presidebat, de Regalibus investivimus; qui investituram Regalium Sedunensis episcopatus de manu nostra recepit, eamque omnes ejus successores de manu Imperij sunt recepturi. Ad ampliorem quoque Sedunensis Ecclesia dignitatem & exaltationem, imperiali simul & regali edicto statuimus ut nullus de cetero Sedunensis Episcopus investituram Regalium non nisi de manu Imperij accipiat. Apud eundem Gallandium pag. 245.

V. Quoniam verò investituræ, mutato nomine, Regalia dici deinceps ceperunt, hinc factum ut Duces & Comites, qui investiturarum jure fruebantur, Regalia quoque retinuerint; pro quibus tamen homagium & juramentum fidelitatis Regi præstabant, quòd ea portio quadam & membrum essent feudorum ab ipsis possessorum. Propositio hæc melius probari non potest quam auctoritate articulorum à Gulielmo de Nogareto oblatores Clementi Papæ quinto, quorum hæc sunt verba in articulo xiv. Item certum, notorium, & indubitatum existit quòd jura Regalia aliquarum Ecclesiarum, quæ habet in Ecclesiis prædictis, Dominus Rex prædictus, progenitores ipsius Domini Regis, & prædecessores ejus in regno, dederunt in feudum aliquibus Baronibus suis tam ecclesiasticis quam secularibus.